

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Volvminibvs Comprehensvs

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus voluntate et providentia]

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

Art. IV. An sit admittenda in deo potentia aliqua executiva, virtualiter ab ejus intellectu & voluntate distincta?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](#)

DE CAUSALITATE SCIENTIAE DEI

221

potius id est sunt veræ, quia illi adæquantur. Ad tertiam, dato Antecedente, nego Consequentiam & patrem: scientia enim simplicis intelligentie, cum sit purè speculativa, non facit, sed supponit suum objectum: scientia autem visionis, cum sit eminenter speculativa & practica, illud non supponit, sed efficit, ut supra fuit declaravimus: unde quamvis de tur quod scientia simplicis intelligentie non faciat, sed supponat resum possibilitem; negari tamen non debet, scientiam visionis esse causam existentie & futuritionis illatum.

Ad confirmationem dicendum est de ratione cause non esse quod antecedat effectum, prioritate in quo, seu temporis; sed cum prioritate à quo, seu natura: de ratione autem notitiae, seu cognitionis intuitivæ, solum esse similitatem in quo respectu objecti, non autem similitatem excludentem prioritatem naturæ, seu à quod, ut articulo præcedenti declaravimus.

ARTICULUS IV.

An sit admittenda in Deo potentia aliqua executiva, virtualiter ab ius intellectu & voluntate distincta?

Resolutio hujus difficultatis, necessaria est ad plenam, & perfectam intelligentiam eorum quæ de divine scientia causalitate hic usque diximus: node quamvis de illa dispergunt plures Theologici Sancto Thomâ infra quæst. 25. ubi agit de divina potentia; eam tamen hic inserimus, ac præcedentibus articulis adjungimus, veluti appendicem, & complementum hujus disputationis. Ut autem status questionis clare percipiatur.

Obserendum est, quod in actibus agentiis spiritualis duplex soler ordo distingui: unus dicat intentionis, qui incipit a cognitione & intentione finis, & terminatur ad electionem medietum: alter executionis, qui incipit ab actu subsequente electionem, & terminatur ad extermam operis positionem. In nobis ergo antequam aliquem finem consequamur, debet primò præcedere cognitio illius, secundò ejus intentio, tertio consilium de mediis eligendis, quartò judicium five sententia, quæ judicatur hoc vel illud medium esse conveniens, quintò sequitur electio ipsius voluntatis, & in ea terminatur ordinatio intentionis. Sed quia parum prodesset bene eligere, si deesse executio, ideo post electionem lequitur actus intellectus qui dicitur imperium, quod scilicet medianorum electorum executio imperatur: post actum imperii est usus actius, quod voluntas applicat potentias executivas ad opus, v.g. manum artificis ad parandos lapides, dolandaligna &c. Denique est triple actus potentiarum executivarum applicatarum, qui dicitur *usus passivus*, ad quem sequitur posilio operis, & consecutio finis. Quizzitur ergo, an sicut in nobis datur aliqua potentia executiva, ab intellectu, & voluntate realiter distincta, quæ ut applicata à voluntate, operatur & producit res ad extra: ita etiam in Deo similis potentia admittenda sit ab ejus intellectu, & voluntate virtualiter saltem distincta, velan voluntas divina, ut ab intellectu directa, per scientiam simplicis intelligentie, aut intellectus ejus practicus, ut morus, & applicatus à

A voluntate, per scientiam visionis, sit principium immediatè productivum, & effectivum rerum ad extra?

Prima sententia admititur in Deo potentiam aliquid executivam, ab ejus intellectu & voluntate virtualiter distinctam. Ita Durandus in 1. dist. 38. & Suarez in Metaphysica disput. 30.

Secunda existimat, potentiam executivam in Deo, esse voluntatem, ut connotat intellectum diligenter. Ita Vazquez hisc disp. 102. cap. 3. & plures ex Recentioribus.

Tertia vero quæ est communis in Schola D. Thomæ, docet talē potentiam in Deo esse intellectum ejus practicum, ut motum, & applicatum à voluntate, illumque producere res ad extra, per actum imperii, formaliter immanenter, & virtuiter transeuntem.

§. I.

Suaris Sententia rejicitur.

Dico primò, non dari in Deo potentiam executivam, ab intellectu, & voluntate virtualiter distinctam.

Coilibitur ex D. Thoma variis in locis, in quibus docet scientiam Dei esse causam rerum, secundum quod haber voluntatem conjunctam, & in Deo suum intelligere, & suum velle, & suum facere: quæ fata essent, si in eo daretur potentia aliqua executiva, ab ejus intellectu & voluntate virtualiter distincta. Unde idem S. Doctor, i. p. quæst. 25. art. 1. in secunda solutione 4. argumenti dicit, Scientia vel voluntas divina, secundum quod est principium effectivum: habet rationem potentia.

Eadem veritas hac ratione suadetur: Deus est simplicissimus, & natura purè intellectualis: Ergo in illo non debent admitti aliae potentiae, nisi illæ quæ pertinent ad gradum intellectivum: Sed ad gradum intellectus & voluntas: potentia enim executiva, secundum se est potentia bruta, nullamque presupponens essentialiter cognitionem: unde in Angelis non admittitur talis potentia, ut distincta ab illorum intellectu & voluntate, sed illi operantur ad extra per actum imperii, virtualiter transente, ut docet Sanctus Thomas opuscul. ii. art. 5. ubi dicit. Angelii movent celos conceptione sui intellectus effectu: Ergo non datur in Deo potentia executiva, ab intellectu & voluntate virtualiter distincta.

Confirmatur: Ideo in nobis admittitur potentia executiva, distincta ab intellectu & voluntate; quia non sumus naturæ simplicis, sed mixta ex spirituali, & corporeo, vel quia in nobis distinguuntur usus actius ab imperio: nam postquam diximus apud nos, *siat hoc*, debemus organa applicare ad executionem illius deliberationis: vel denique, quia in nobis voluntas est inefficax, nec volendo potest operari; & similiter intellectus noster, respectu objectorum, est mere speculatorius, & non practicus. Sed haec omnes rationes cessant in Deo, ipse enim est natura simplicissimæ, & purè spiritualis, imperium ejus quod dicit, *siat hoc*, non ordinatur ad sciplum applicandum ad opus, sed ad ipsam rem immediatè exequendam. Denique intellectus, & voluntas in Deo, non sunt potentiae purè speculatoriae, sed etiam practica: unde D. Thomas, & alii communiter ponunt hanc differentiam inter actus cretatos & incretatos cognitionis & amoris;

Tom. I.

Ecc 3

quod

DISPUTATIO TERTIA

quod illi supponunt veritatem, & bonitatem in objecto quod attingunt, isti vero illam faciunt & producunt: Ergo licet in nobis deitur potentia executiva, ab intellectu & voluntate distincta, in Deo tamen non debet admitti.

39. Probatur secundum: Potentia executiva, distincta ab altera ordinante & imperante, dicit imperfectionem, tum ex parte potentiae imperantis, tum ex parte ipsius exequentis: Ergo non est admittenda in Deo. Consequens pater, Antecedens probatur, quantum ad primam partem. Ideo enim ponitur potentia executiva, distincta ab altera ordinante & imperante, quia ita in se non habet sufficientem efficaciam, ut res wanderet executioni, nec res ipsa ad extra perfecte ei obediat & subjiciatur; & ideo indiget aliquo distincto a te, quod tanquam instrumento res ipsi subjiciatur, & illa executionem habeat: hec quia homo manus sua non habet vim scandendi, aut frangendi alium, indiget securi, aut mallo ad id exequendum; & quia sive imaginationi, & appetitu non perfecte subjiciuntur organa corporis, & multo minus corpora extra te, indiget virtus motiva, quae organa moveat, & corpora ad extra impellat.

40. Probatur etiam Antecedens, quantum ad secundam partem, quod scilicet sit imperfection ex parte virtutis executiva; quia talis potentia, & virtus, quando est distincta ab altera ordinante, & sibi imperante, non te habet ut movere, & agere, sed ut pure mota, & per modum instrumenti respectu alterius: unde si in Deo admittatur potentia executiva, virtualiter distincta ab intellectu, & voluntate, illa se habebit per modum instrumenti, & operabitur, ut mota ab aliis, & illi obediendo, quod imperfectionem potentia importat.

41. Praterter, in potentia imperante ponetur effacia mens plena & perfecta, & cuius ad extra non plene subjiciantur, nec obediunt: Dei autem voluntate, & imperio, perfectissime creature subjectae sunt, & multo magis, quam illa potentia executiva, si in Deo daretur; haec enim est divina, & sic non operatur ex subiectione ad intellectum imperantem: creatura autem ex plenissima subiectione ad Deum operatur: Ergo immediate voluntas, seu intellectus Dei imperans, agit in creaturas, non autem mediante potentia executiva, ab illis virtualiter distincta.

42. Dices: Quod distinguuntur realiter in creaturis, translata in Deum, distinguuntur in eo virtualiter: Sed potentia executiva in nobis distinguuntur realiter ab intellectu, & voluntate, juxta probabilem sententiam, quam docent nostri Thomistae in ibris de anima: Ergo in Deo distinguuntur ab illis virtualiter.

Confirmatur: Illae potentiae distinguuntur virtualiter in Deo, quae habent distinctos aetas, & diversa objecta: Sed potentia executiva in Deo habet distinctum actum ab ejus intellectu, & diversum objectum ab illo: actus enim intellectus divini, est sciare, seu intelligere: & objectum illius formaliter & specificativum, est ipsa essentia divina, non autem creatura: actus vero potentiae executiva, est facere, seu producere: & objectum illius est sola creatura, non autem essentia divina, quae non est factibilis: Ergo potentia executiva in Deo, virtualiter ab ejus intellectu distinguuntur.

43. Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem; Quod distinguuntur realiter in creaturis

A ex genere suo, & ex propria ratione formalis, distinguuntur virtualiter in Deo, concedo. Quod distinguuntur ex limitatione, & potentialitate creature, nego. Potentia autem executiva non distinguuntur in nobis realiter ab intellectu & voluntate, & ex propria ratione formalis; sed ratione potentialitatis, & limitationis natura humana, quae non est pura iurellatalis, & simplex, sed mixta ex corpore & spiritu, ut constat ex dictis.

B Ad confirmationem, concessa Majori, nego Minorem, quantum ad utramque partem: adus enim intellectus speculatori, est quidem tantum scire, & intelligere; imperium tamen, quod est a Deus potentia executiva, procedit ab intellectu practico, presupposita tamen motione voluntatis, ut dicimus conclusione sequenti. Similiter obiectum specificativum divinitate omnipotente, est essentia divina: quia licet illa non sit factibilis, & producibilis, est tamen ratio facienda, & producendi creaturas, quae pertinent tantum ad obiectum materiale, & secundarium illius.

S. II.

Opinio Vazquezii refellitur, & D. Thomas ac Disputationum eius sententia stabilitur.

C Ide secundum: In Deo potentia immediata executiva, non est voluntas, sed intellectus practicus, ut motus & applicatus a voluntate.

D Probatur primum ex D. Thomas hic art. 8. ubi dicit. Forma intellectus est principium operationis, sicut calor est principium calefactionis, non tamen infra voluntate adjuncta. Unde cum calor sit principium immediate productivum caloris, manifestum est, in sententia D. Thomas, quod intellectus divinus, per seipsum ejus practicam, est principium immediate productivum rerum ad extra: quamvis operetur, requiratur motio, & applicatio voluntatis. Quare si inter dum attribuat productionem rerum voluntati divinae, hoc intelligendum est de principio movente, & applicante, non autem de principio immediata exequente.

E Probatur secundum ratione fundamentali. Nullus attributus in Deo est inmediate productivum creaturarum, quod elicet actum per quem Deus de facto productus creaturas: Atque talis adus non procedit elicitive a voluntate, sed ab intellectu practico, ut moto a voluntate divinae. Ergo principium immediate productivum creaturarum, non est voluntas Dei, sed ejus intellectus practicus. Minor probatur: Deus ad extra productus creaturas per actum imperii, quo dicit, fiat hoc, ut colligitur ex Scriptura: dicitur enim Genesi. Dicit Deus fiat lux, & facta est lux. Et Psalmo 148. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit. & creatura sunt: Sed imperium est auctus intellectus ab intellectu practico, ut moto a voluntate, sicut docent Theologi cum Sancto Thoma 1.2. quest. 17. art. 1. Ergo aetas quod Deus ad extra productus creaturas, non procedit elicitive a voluntate, sed ab intellectu practico, ut moto a voluntate.

F Confirmatur: In Scriptura Deus dicitur producere creaturas, per actionem & locutionem internam, ut constaret ex locutione relatis: Actio, & locutio interna, non pertinent ad voluntatem, sed ad intellectum, qui est velut os, aut lingua subita in spiritalis, secundum illud Psalmi 31. Os justi meditabitur sapientiam. Unde etiam

etiam Divina Sapientia Ecclesiastici 24. dicit se ex ore Alchimi (id est intellectu Patris) producere: Ergo actus quod Deus ad extra producit creaturas, non pertinet ad voluntatem, sed ad intellectum, ut motum à voluntate.

Sicut igitur Pater aeternus producit Filium per dicere notionale, ita & omnes Personæ Santissima Trinitatis, producunt creaturas per dicere commune & essentiale; sive per actum impetu, formaliter immanenter, & virtualiter transeuntem. Imperium autem, ut docent Theologici cum sancto Thoma 1. 2. quæst. 17. tria importat: scilicet directionem, intimationem, & motionem: duo prima habet intellectus & sunt à scientia, tertium verò illi communicantur à voluntate, que est primum movens quantum ad exercitium: nam haec potentia, quoad suas operationes, semper juvans, intellectus dirigit voluntatem, & illam determinat ad speciem actus: voluntas moveat, & applicat intellectum, illumque determinat ad exercitium: unde sicut ordo qui reperitur in actibus voluntatis, est ab intellectu dirigente, & ordinante; ita & vis movendi que reperitur actu imperii, est à voluntate moveante, & applicante. Unde ex hoc triplici actu, scilicet ex directione, & intimatione intellectus, ac motione voluntatis, coalescit actus efficaciam imperii divini, quod non solum dirigit ad creature rationales, sicut imperium humanum & politicum, sed etiam ad insensibiles & inanimatas, nam Deus vocat ea que non sunt, tanquam ea que sunt, & insensibilia illi ut sensibilia obediunt. Unde Job. 38: mari dixit, *Vtq; buc venies, & non procedes amplius, & hic confringes umbras fluctus tuos.* Et Joan. 11. Christus ait Lazaro mortuo, *Lazarus venias.* Et Match. 8. imperavit ventis & mari. Ubi eleganter Hieronymus: *Ex hoc loco intelligimus: quod omnes creaturae sentiunt Creatorem imperantem, non errore Hereticorum, qui omnia putant animata: sed maiestate conditoris, cui sensibilia sunt, que apud nos sunt insensibilia.* De actu imperii plura dicimus in Tractatu de praedictis. *Alp. i. art. 3.* & in Tractatu de actibus humanis, disputatione II. pertinam.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Contra istam conclusionem obisci potest: Producio creaturarum in Scriptura saepe attribuitur divina voluntati: dicitur enim Psal. 144. *Omnis quicumque voluit dominus fecit.* Et ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.* Ergo potentia immediate operativa in Deo, non est intellectus, sed voluntas.

Confirmatur: D. Thomas infra quæst. 19. art. 4. ad 4. art., quod ejusdem effectus scientia in Deo est causa ut dirigen, voluntas ut imperans, & potentia ut exequens: Ergo secundum D. Thomam, scientia in Deo non concurrebit effectivè ad productionem rerum, sed tantum directivè.

Respondeo quod cùm actus imperii quod Deus producet creaturas, pertineat partim ad intellectum, partim ad voluntatem, modo supra explicato; Scriptura interdum attribuit productionem rerum divinae volitioni, scilicet tanquam causa moventi; interdum verò ejus dictio, & locutioni, tanquam cause operanti, & executandi. Unde Apostolus dicit, quod Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis sue. Ubi, ut notavit Glossa, prius ponitur consilium, quod pertinet ad intellectum, & postea additur, voluntas.

A tatis sua: ut per hoc significetur, quod intellectus divinus, ut motus & determinatus à voluntate, est causa rerum.

Ad confirmationem dicendum est, quod quando Sanctus Thomas ait quod scientia in Deo est causa dirigen, loquitur de scientia simplicis intelligentiae, qua concurrevit tantum directivè ad productionem rerum, unde addit, *Scientia quæ concipitur forma operis.* Quibus verbis aperte significat, eloqui de scientia, qua continet ideas rerum possibilium, qua est scientia simplicis intelligentiae. Cùm vero subdit, quod voluntas se habet, ut causa imperans, loquitur de imperio, quatenus importat motionem & impulsum: sub qua ratione (ur diximus) pertinet ad voluntatem, non verò ad intellectum. Deniq; quando subiungit, quod potentia se habet ut exequens: per illam potentiam exequentem, significat ipsum intellectum, ut practicum, & ut motum ac applicatum à voluntate: sub qua ratione gerit vicie potentia executiva in Deo, & est immidiatum principiu operationis ad extra: unde ibidem ait, *intellectus speculatorius nihil dicit de operando.*

Quod si aliquis contendat, per potentiam illam exequentem, S. Doctorem significare potentiam aliquam virtualiter distinctam ab intellectu & voluntate, dicendum est cum Cajetano & Alvarez, illum id correxisse, seu potius magis explicasse infra quæst. 25. art. 1. in solutione 4. argumenti, ubi dicit, *scientia divina, secundum quod est principium effectivum, habet rationem potentiae.* Quibus verbis aperte declarat, scientiam Dei ut applicatam per decretum, habere rationem potentiae operativæ ad extra, per actum imperii.

DISPUTATIO IV.

De scientia futurorum contingentium.

Hic aggredimur gravissimas hujus temporis, & Tractatus questiones, ac controversias; & reliquo, ut ita dicam, littote, in altumducimus: ut Christus dicebat Petro Lucæ 5. id est (ut explicat D. Ambrosius) *in profundum disputationum ingredimur.* Aginus enim de scientia futurorum contingentium, quæ or rixas & contentiones inter Patres Societatis & Thomistas excitavit. Verum cum notitia cuiuslibet scientia ex objecti sui cognitione maximè pendeat, priusquam celebres illas controversias discutiamus, tria in hujus disputationis limine præmitenda & declaranda censuimus, quæ magnam lucem afferent his quæ in toto ejus decurso dicti sumus; nimur quid sit futurum, quid contingens, & quotuplex detur futurum contingens? Unde lit

Lib. 4
in
cap.
Lucæ,

ARTICVLVS I.

Quid & quotuplex sit futurum contingens?

§. I.

Resolvitur prima pars quæsti, & declaratur in quo essentialiter consistat futurum.

Dico primò: Rem constitutu in ratione futuri, per determinationem, preparationem, & ordinacionem causarum ad illius productionem: ac proinde futurum recte definiri, quod est determinatum in causa ad habendam existentiam pro duratione sequenti. Est contra plures ex recentioribus,